



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 2. De Communionem Generali. Doctrina Theologica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

Sacram hostiam eo sterquilinio remanere, sed reverenter exceptam ei detulit, iussitque, cujuspiam animæ ex igneo ergastulo liberandæ causâ illam sumere.

976.
Mos pro
defunctis
communi-
candi pro-
batur.

Ex quibus patet maximè probandum, cum morem piorum ac religiosorum hominum, qui aliquo è suis vitâ functo, in ejus gratiam omnes SS. Eucharistiam communiter accipiunt. Id quod V. Antonius Tholosani Antonianorû Generalis eximia doctrinâ, & sanctitate vir, à Præside suo impetravit, cum adhuc esset Societatis Jesu, & parentem suum obiisse divinitus intellexisset. Ita hodièque pios manes juvare student permulti, ut mirum sit aliquos id genus pietatis tamquam inutile ac supervacaneum dissuadere.

§. 2.

De communione Generali Doctrina Theologica.

977.
Bulla com-
munionis
Generalis.

HANC quoque segetem messuimus tractatu de Sacramento Amoris Eucharistici, nunc spicas aliquas relictas colligimus. Ac Bulla quidem Urbani VIII. anno 1634. Societati Jesu super hac concessa, hæc est, *Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, celestibus thesauris piæ charitatis intenti, omnibus utriusque sexus fidelibus verè poenitentibus, & confessis, qui aliquam Societatis Jesu, vel quancumque aliam sacularem Ecclesiam ubique existentem una ex Dominicis cujuslibet mensis, qua Communio Generalis sollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis, & quoad Ecclesias saculares de licentiâ Ordinariorû locorum, illarumque Rectorum consensu agitur, devotè visitaverint, & iis Dominicis in prædictis Ecclesiis sanctissimum Eucharistia Sacramentum sumpserint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem, quam animabus fidelium defunctorum applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Volumus autem &c. Datum in arce Gardulphi die 10. Maii 1634. Pontificatus nostri anno undecimo.*

978.
Communi-
onis Ge-
neralis
tempus.

Sunt igitur ad hujus indulgentiæ consecutionem, tres generatim observandæ leges. Prima ad tempus pertinet, ut una ex Dominicis cujuslibet mensis Sacra synaxis sumatur: Altera ad locum, ut in Ecclesiis Societatis Jesu, vel sacularibus Eccle-

siis, ubi nostrorum curâ communio Generalis celebratur, eadem sumatur. Tertia, ad preces pro indulgentia fundendas. Prima autem facilem habet explicatum, nam communioni Generali assignatur una è Dominicis cujuslibet Mensis, una, inquam, dies naturalis: nempe à medio ad medium noctis, ut in diebus jejunii, ac festis: ita ut qualibet hora ejus matutina, vespertinaque communicare, ac frui indulgentiâ possis. Et necesse est, ut sit Dominica: non igitur obtineri potest indulgentia à primis vesperris dici Dominicæ, quia earum tempus, ac dies, sabbathum est, non Dominica. Non etiam festis diebus, nisi fortè in Dominicam incidant. Cum autem quælibet Dominica sit una ex Dominicis, qualibet ex illis æquè potest obtineri, at unâ tantummodo per singulos menses: quia unâ, sive unicâ ex Dominicis cujuslibet mensis permittitur indulgentia. Sed quem mensem intelligis? non lunarem: sed solarem, seu Ecclesiasticum; adeo ut duodecies tantum per annum veniâ illâ potiri queas, quæ omnia præter verba Bullæ, usus hæctenus confirmavit.

De loco autem non æquè prona est responsio. Cum enim dicitur primum, *in Ecclesiis Societatis*, queritur quid Ecclesiæ nomine significetur, an etiam oratoria, ac sacella privata? Et aliens sententia, teste Quintanaduennas, est Granadi, & aliorum, quam quidem ipse probat; quia in favorabilibus hæc omnia nomine Ecclesiæ Societatis accipiuntur. Et confirmatur, quia famuli Societatis, aliarumque religionum ex privilegio satisfaciunt præcepto annuæ communionis Paschalis, si in Ecclesiis Religionum ubi serviunt, communiceant; nec dubitari potest, quin si iis communio in sacello ministraretur, satis legi fecisse sint censendi. Igitur ædiculæ, ac sacella omnia, quacumque domus parte erecta, sive ad tempus, sive in perpetuum, idonea sunt ad veniam synaxeos Generalis obtinendam, quia dum consistunt, & Sacra hostia in iis sacrificari, ac servari potest, verè sunt loca sacra Missæ destinata, atque adeo veræ Ecclesiæ.

Queritur deinde, an in Ecclesiis seminariariorum Societatis Jesu, ubi scilicet instruantur, atque alumnos regunt, acquiri possit indulgentia synaxeos Generalis? Et idem affirmat, tum quia revera sunt Ecclesiæ Societatis, tum quia sic declaravit admodum R. P. Mutius Vitellescus, Societatis Jesu Præpositus Generalis: & stabilitur responsio, quia Ecclesiæ istæ non sunt saculares, cum ab Ordinario non lustrentur, ergo Regulares, neque aliorum, quam Socie-

979.
An sacel-
lum dome-
sticum sit
ad indul-
gentiam
sufficiens.

980.
An in sem-
plis semi-
nariariorum
& sacellis
prædicatorum.

Societatis, Ergo. Quod argumentum etiam militat pro sacellis prædiorum Societatis.

981.
*An in plu-
ribus tem-
plis ejus-
dem urbis.*

Denique disputari potest, an si in eadem civitate plures sint domus, atque Ecclesiæ Societatis, in iis omnibus eodem die eadem indulgentia possit acquiri. Id quod asserit etiam Quintanaduennas, quoniam quælibet earum Ecclesia est etiam Societatis, nec potior est unius, quam alterius conditio, testaturque R. P. Mutium Vitellescum ejusdem fuisse mentis, quam significavit epistolâ ad P. Bartholomæum de Chaves Rectorem Domus Probationis anno 1630. datâ.

982.
*In uno solo
templo Soc.
acquiritur
indulgentia.*

Verum enimverò mihi equidem hæc omnia non sine scrupulo dici posse videntur. Nam in allatâ à nobis Bullâ sic præscribitur. *Qui aliquam Societatis Jesu, vel quamcumque aliam sæcularem Ecclesiam, una ex Dominicis cuiuslibet mensis, quâ comminatio Generalis sollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis agitur, devotè vistorum, & iis Dominicis in prædictis Ecclesiis S. S. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint.* Ubi profectò mens Pontificis eadem est circa aliquam Societatis Ecclesiam, quæ circa quamcumque aliam sæcularem, quantum attinet ad Indulgentiam Communionis Generalis. sed dum celebratur Communio in Ecclesia sæculari, mens ejus non est, ut in alia, sed in ea sola, ubi communio celebratur, indulgentia obtineri possit, ergo etiam mens ejus est, ut in eâ sola Societatis Ecclesia, eadem indulgentia acquiratur, in qua Communio Generalis peragitur. Nec dicas eum Quintanaduennas omnes in una eademque civitate sitas Ecclesias Societatis, non nisi unam censi posse, non item sæculares Ecclesias. Occurrit enim facile, non posse plures illas Societatis Ecclesias potius unam censi, quam plura ejusdem urbis Collegia ejusdem Societatis, unum Collegium, etsi in eadem extrent urbe. Et verò in civitatibus, ubi matrix Ecclesia sita est, constat alias ibidem positas illi subjectas esse. nec tamen admittendum in omnibus acquiri posse indulgentiam, si in matrice Communio Generalis celebretur. Accedit Parrum nostrorum Romæ usus, qui hanc nostram explicationem stabilit. Solent enim ex alio quolibet domicilio petere Domum Societatis Professam, dum in ea Synaxis Generalis peragitur, ad indulgentiam acquirendam, ut mihi testes sunt, qui illic per multos annos habitavere.

983.
Dubium

Porro ex his quoque colligitur, non extra controversiam positum esse, quod di-

ctum est de sacellis ejusdem domus, ubi Synaxis in æde sacrâ celebratur. Esto enim sacella illa Ecclesiæ vocentur: non tamen in illis Communio Generalis celebratur, nec dicas eandem Ecclesiam censi cum eâ majore, sicut suburbia ad civitatem pertinent, ejusque nomine in favorabilibus accipiuntur: non, inquam, id dicas, quia & loco profano diffusæ sunt ab ea majore Ecclesia, ita ut in unum locum sacrum, aut in unam Ecclesiam coire nequeant, neque illius pars dici possunt, ut suburbia pars urbis exterior. Et quidquid asseras, scrupulum non evelles omnem, atque adeò certum manebit probabile esse, indulgentiam Communionis Generalis, nec in sacellis domesticis, nec in sacellis prædiorum acquiri posse: etsi hoc posterius facilius asserendum videatur, quam illud prius de obtinenda indulgentia in eo domicilio Societatis, ubi non celebratur Generalis communio.

Denique dubitatum alicubi fuit, num dùm Patres alicujus domicilii Societatis Communionem celebrant in urbe, ubi commorantur, alii ejusdem domicilii, vel iidem eodem mense in pago, vel oppido vicino eandem Communionem possint celebrare. Sed ego quidem rationem dubitandi non video. Nec enim Pontificis Bulla hanc suggerit, nec est, unde eruatur. Certè quidem Pontifex unam Communionem una ex Dominicis cuiuslibet mensis vult peragi: sed ea lex, quæ civitatem, aut locum unum respicit, non prohibet, quin pluribus oppidis, plures Dominicæ designentur, pluresque Communiones Generales obeantur. Alioqui per mensem in urbe unicâ obiri posset communio unica, non alibi eodem mense ulla celebrari. Nec refert si ab iisdem Patribus, si ab aliis Communio Generalis diversis pagis procuratur, ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Quod attinet ad alias Ecclesias, in quibus Synaxim Generalem proponere licet, constat oportere esse sæculares: id enim disertè vult Bulla. Neque tamen propterea Ecclesiam Regularem excluderis, in qua Sacramenta Baptismi, ac matrimonii conferuntur, cæteraque passim Parochi munia à Parocho Religioso exercentur, nam & hæc sæcularis dici potest, cum sit parochialis. Addit Quintanaduennas Ecclesiam Monialium Episcopo subjectarum ad idem deligi posse, quoniam ea sæcularis dici potest, quòd sæculari sit ditioni subjecta. Sed eadem ratione diceret omnes Monachorum Episcopo subjectorum Ecclesias eligi posse, cum & ipse jurisdictioni sæculari, ac visita-

est de sa-
cellis ejus-
dem colle-
gii.

984.
*Potest eo-
dem tem-
pore, & in
pagis cele-
brari.*

985.
*Ubi paro-
chi officium
exerce-
ri solet est
Ecclesia
sæcularis*

Patrocinium Defunctorum. *Lib. III.* 313

visitationi Episcopi subsint: quod ego quidem nolim admittere.

986. *Communio celebratur curâ Socr.* Cæterum ut in Ecclesiâ sæculari indulgentia obtineatur, necesse est, ut Synaxis sollicitudine Patrum Societatis Jesu celebretur, sive ut ii vel confessionibus audientibus, vel Synaxi distribuendæ adlaborent; nec satis est, ut eam peragi mandent, imò nec ut adsint dumtaxat, audeo dicere, neque ut concionentur, Parocho cum sacellanis reliquum præstantibus. Quia eo pacto non perageretur eorum sollicitudine Communio, sed sæcularium; quamquam solum mandatum cum aliqua cura, ut Sacerdotes sæculares confessionibus excipiendis, ac Synaxi populo impertiendæ vacent, sufficere videatur.

987. *Consensus Episcopi, & pastoris.* Requiritur porro ut in Ecclesiâ sæculari Communio peragatur, licentia Ordinarii, non quidem ad designandam Ecclesiam (id enim est hominum Societatis) sed ad facultatem in designata Ecclesiâ Communionem peragendi: & tacita sufficit, quin & ratihabitio de futuro, ut rectè idem author; quamquam eam exquirere longè sit consultius. Denique requiritur & consensus Parochi, seu Rectoris illius Ecclesiæ, id enim disertè mandat Pontifex, quare eo deficiente, etsi obiretur Communio, indulgentia nulla esset; nisi fortè contra rationem negaretur, quo posito supremi Pastoris, seu Pontificis consensus jure præsumeretur: sed parum consultò vis aliqua fieret. Cæterum in sacellis separatis, ubi nullus Pastor præsidet, sed solus sacellanus, ac confraternitas aliqua, non videtur opus eorum consensu, quia strictè illius Rectores non sunt, & in hac materia, cum sit odiosa, strictâ interpretatione utendum est. Ita idem author; sed & sic minùs prudenter Communio perageretur, tum propter obloquutiones, tum propter loci angustias, cum ea res celebratam ac frequentiam populi, ac proinde loci amplitudinem exigar.

988. *Locum designatum adire necesse.* Ad extremum observa extra locum designatum Communione indulgentiam nullo modo posse obtineri (cum cum omnino ad illam requirat Pontifex) atque adeò nec ægris, nec carcere detentis, nec monialibus, aliisque ullibi clausis posse obtingere. Id quod stabilitur ex eo, quòd quando ejusmodi detentis favere vult Pontifex ut indulgentiam Jubilæi possint consequi, solitus est modum ab aditu Ecclesiæ diversum exprimere.

989. *Sint preces mediocres.* Jam ut ad preces veniamus, non sum in eâ sententia, ut credam etiam minimas ad plenam indulgentiam, qualis hæc est, sufficere. Alioqui enim sufficeret dicere cum Publicano, *Deus miserere mihi peccatori*,

cum precum nomine hæc precatiuncula intelligi possit. Deinde non plures preces ad indulgentiam plenissimam forent necessariæ, quàm ad indulgentiam unius diei, quod creditu difficile est. Est enim Pontifex œconomus, neque pro arbitratu suo valet qualibet conditione quidlibet ex thesauro Ecclesiæ concedere. Id enim Christus ejus Dominus, ratum non haberet. Cum ergo indulgentia est plenissima, qualis hæc, quæ etiam potest Purgatorii animabus transcribi, preces saltem mediocres fundendæ sunt, illæque, ut certius obtineatur, vocales. Talis videtur esse recitatio *Miserere*: quinque Pater, & Ave, & hujusmodi. Sint etiam aliunde non debita, ad eamdem indulgentiam consequendæ securitatem, illæque medullitus depromantur; nec refert quod objicit Quintana-duennas, quod Paulus III. Pontifex Maximus indulgentiam plenariam Anno 1549. Societatis Jesu hominibus concesserit sub conditione recitationis Pater, & Ave, nullâ ad eam requisitâ Communionem. Id enim velut extra ordinem factum, cum alii Pontifices tam levem precatiunculam disertè exigere soliti non sint, & factum quidem non promiscuè, sed viris de Ecclesiâ benè meritis, viris Religiosis in primævo Societatis flore mira per orbem, & plurima summo cum labore, perpetuæque sollicitudine, & propter vitam innocentissimam lytro non magno indigentibus.

Porro perinde erit, sive ante, sive post 990. Synaxim preces pronuntient, quamvis sua *Tempus precum.* audendum, ut illi postponentur, scilicet quia tunc animus Christo magis conjunctus noxarum veniam facilius impetrare potest, præsertim si adhuc Sacrum convivium duret, id est, si species Sacræ necdum sint consumptæ; quo tempore, saltem ex opere operantis sacramento adhuc alimur, & Christus ipse amore nostro, aliisque virtutum actibus magnâ cum voluptate pascitur. Postremò preces illæ ad fines consuetos sunt dirigendæ, & directio tacita sufficere videtur, nempe ut mens eas destinet saltem, quò sunt destinandæ.

§. 3.

De indulgentia Communionis Generalis, aliæque defunctis applicanda, Theologica doctrina.

RECEPTUM est omnibus Theologis. 991. Pontificem posse piis manibus indulgentias concedere. Cum enim quisque *Non applicatur defunctis* privatus

R r